

sed dum sapiens videri voluit, stultum se monstravit, juxta illud Horatii :

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt,
Est fortasse is de quo loquor tantum grammaticus,
sed notum est non posse quemlibet unius liberalis
artis scientiam integre percipere, nisi studuerit omnibus
aliquam opellam dare, Cyclicæ namque dicuntur,
atque ita in se recurrunt, ut modo trium sonorum
connexæ reperiuntur; non enim Achar ille sub lege
positus, cujus anima secundum Ovidii dogma Achar iste
vivificatur, ad radicem montis stetit, aut vocem loquentis
Domini audivit; in eremo natus sub murmure crevit,
servatque adhuc anima ejus ferinum morem, quo in eremo
ille a Moyse decidit, et Josue non bene cohæsit. Ille in
activa vita persistere noluit, et ad contemplativam nequaquam
pervenit; in itinere ergo defecit ac tepidus subsistit.
Jam illum fortasse humani generis æmulus suo cauterio
inussit. Utinam aut calidus aut frigidus esset, nam
melius fuerat ei, secundum Apostolum, viam veritatis
non agnoscere, quam post agnitionem retrorsum converti!
Hortarer vos ad exhibendam huic opem medicinæ, sed
vereor inveteratus sit morbus :

Elleborum frustra cum jam cutis ægra tumebit.
Poscentes videas, venienti occurrere morbo.
PERSIUS.

Hæc vobis communicanda putavi, quibus et vanitatem
stulti monachi, et me non per omnia qualem putavit
cognoscatis. Nam sunt quidam stulti qui ad mensuram
sui alios metiri volunt, veluti miserimus iste qui
comparatione sui cum apusionibus laudaretur, nihil
alios æstimavit. Ergo in ipsa sui æstimatione deficit,
atque prudentium judicio tabescat, nisi palam monstraverit
qualem se in conclavi monasterii monstrare voluit. Nobis
tamen, quibus præcipitur ut pro inimicis oremus, procurandum
est quatenus divinis mandatis obsequamur. Dignum

quapropter putavi epilogum hujus epistolæ precibus
terminari.

Conditor omnipotens rerum, qui cuncta gubernas,
Quique soluta ligas, et sparsa reducis in æquum.
Nec sinis in solido positum dissolvier unquam.
Cui nihil quod pereat, nihil est quod sine fatiscat
Cuncta tibi vivunt, famulari cuncta laborant.
Nil sub te moritur, vitæ cum limina servas.
Quidquid adesse decet, nihil est quod constat ab-

[esse.

Da, Patre omnipotens, veniam, da, posco, regressum.]

Qui cecidere suo demersi crimine, cede
Consurgant tenero sub nomine fonte renati.
Non illos extrema dies transmittat averno.
B Portitor ille Charon limosa, haud evehat unda.
Sors procul abscedat, Minois cesset et urna
Quos tribuit Christus medicabile pignus in unda.
Sentiat Ixion solitæ vertiginis ictum.
Saxa rotent alii, jecur hic increseat opimum
Vultur in rabiem, solvantur viscera siti
Vicina Eridani, cui non conceditur unda.
Ille cibos vacuis expectet hiatibus amplos
Quem furtale malum prohibet contingere mensas.
Cætera pœnarum vulgus gentile coarctent,
More rapit pecudum quod per diversa libido,
Dummodo qui sese Christi sub jure fatentur,
Effugiant laqueos inimicaque tela draconis,
Protecti clypeo et non deficiente lorica.
Inter quos si forte meam quis rodere vitam
Expetit, invidiæ maculis noxaque remota,
Evolet alta petens liber, tricasque refutet,
Seque Deo extremo socians examine lætus
Dextra petat, quo præclara jam laude beatus,
Gaudia percipiat lucrati pecunio nummi.
Euge feratque simul Domini sine fine beatum.

ANNO DOMINI DCCCCLXXIX.

RICHARDUS

ABBAS FLORIACENSIS

NOTITIA HISTORICA IN RICHARDUM.

Gall. Christ. tom. VIII, pag. 1546.)

Richardus, prius Patriciacensis cellæ præpositus, ut censet Mabillonius, Vulfardum factum episcopum
mox excepit. Percipiacum mansum a Guntrude matrona
anno 964 in gratiam Letaldi obtinuit. Huic Lotharius rex
tria dedit præcepta, quorum duo priora anno regni XIII,
indictione X; postremum anno XXI, Christi 974, forte post
alterum Floriaci in-

pendium : « Bis enim voracibus flammis, inquit Almo-
inus, absumitur cœnokiū, secundo anno 974 flagrat incendio.
At procurante venerabili Dei cultore Richardo in pristinum
statum intra trium spatium annorum revocatur. » Eodem
Lotharii regis anno XXI. VI Idus Septemb., indictione III,
ab ineunte mense ducta, Adelelmus miles nobilissimus sancto

